

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5327

**Auteur(s) :** Roger Hugues, du Theil [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1284, juillet

**Action juridique :** vente

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Roger Hugo, de la paroisse du Theil, vend au chapitre de Coutances pour cent sous tournois une rente de huit sous tournois, un pain et une poule, à percevoir pour moitié à Noël et pour l'autre à la Saint-Michel, sur une tenure qu'il tient des chanoines. Le chapitre aura droit de juridiction pour cette rente sur la tenure.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathedral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 59, p. 172-173.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes et futuri quod ego, Rogerus Hugonis, de parrochia de Tilia, vendidi finaliter ac in perpetuum concessi viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensis octo solidos tur. unumque panem et unam gallinam anni redditus ; habendum et reddendum decetero in perpetuum dictis capitulo et eorum successoribus annis singulis, medietatem dictorum solidorum scilicet ad festum beati Michaelis et aliam medietatem unacum pane et gallina predicta ad Natale Domini a me et heredibus meis et percipiendum super toto tenemento quod in dicta parrochia habeo et ab eisdem capitulo teneo, tam in terris, dominibus, quam in aliis quibuscumque ; quod quidem tenementum, in quibuscumque rebus existat, ad hoc eisdem capitulo obligo, et ad faciendum super toto illo tenemento suam justiciam plenariam libere, pacifice et quiete, sine aliqua contradictione alicujus, pro predicto redditu, nisi eis annis singulis prefatis terminis redderetur, salvo jure capitalium dominorum, et tenemur decetero in perpetuum ego, prefatus Rogerus Hugonis, et heredes mei dictis capitulo et eorum successoribus predictum redditum super toto tenemento predicto quod ubicumque sit in dicta parrochia ad hoc eis obligo garantizare, liberare et defendere contra omnes bona fide et in pace dimittere et alibi ad valorem in mea hereditate propria quam ad hoc obligo si necesse fuerit excambiare et ipsos super hoc indempnes penitus observare adque facienda et implenda dictis capitulo et eorum successoribus obligo me et heredes meos ac omnia bona mea mobilia et non mobilia, ubicumque sint vel fuerint ; et volo ad hoc teneri decetero obligatum pro quibus venditione et concessione taliter a me factis dederunt predicti capitulum centum solidos tur. et persolverunt in pecunia numerata ; et ego juravi, tactis sacrosanctis evangelii, et promisi quod contra venditionem hujusmodi decetero non veniam ullo modo. In cuius rei testimonium et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam eis tradidi sigilli mei munimine roboratam et ad majorem certitudinem et sigilli mei notitiam sigilli curie Constantiensis apud Valonias apponi procuravi. Actum est hoc anno Domini M° CC° octogesimo quarto, mense julii.